UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

**Petrus <de Natalibus>**

**Lugduni, 1508**

De sanctis Helchana [et] Anna eius vxore. Cap[itulu]m. lxxxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

mortui redierũt ad vitam: ⁊ multi infirmi a diuerſis languoribus ſanati ſunt.

¶ De ſctõ Donato p̃ſbytero. Cap̃. lxxviij.

DOnatus preſbyter apud paguꝫ ſigiſtricũ galliarũ claruit. Qui ex vrbe aurelianeñ. ad eandẽ ciuitatem in monte qui dicit̃ iura adueniens: anachoriticã vitã multis annis exegit: multiſq; miraculis floruit. Qui inter cetera draconem terribilẽ ſua oratione inde fugatum extinxiſſe fertur. Cũq; dies vocationis eiꝰ inſtaret: aduenie͂te abbate mario diuinitꝰ admito: vt ad eum accederet. Inter verba orationis migrauit ad xp̃m: ab eodem patre ibidẽ ſepultus. xiiij. kalen. ſeptembris.

¶ De ſancto Iulio ſenatore ⁊ martyre. Cap̃. lxxix.

IUlius ſenator ⁊ martyr rome poſſus eſt tẽpore cõmodi imperatoris. Qui audita predicatione ſanctoꝝ euſebij: vincẽtij: peregrini: et potentiani: de quibꝰ dicet̃ infra. viij. kalen. ſeptẽbris conuerſus eſt ad xp̃m: ⁊ a rufino preſbytero cum omni domo ſua baptizatus. Cũq; omnia ſua pauperibꝰ erogaſſet: dum xp̃m confiteret̃ a ceſare detẽtus et examinatus: atq; magiſtro peditũ vitellio traditus eſt: qui ab eodem in cuſtodia diebus pluribus recluſus: inde eductus: cum ſacrificare nollet: tãdiu fuſtibus eſt ceſus: donec ſpiritum emitteret. Cuius corpus ante amphitheatrum dimiſſum: euſebius ⁊ ceteri predicti martyres ſepelierũt in cimiterio calepodij. qui paſſus eſt xiiij. kalen. ſeptembris.

¶ De ſancto Heli ſacerdote. Cap̃. lxxx.

HEli ſacerdos ⁊ iudex iſrl̃ vnus et vltimus fuit iter iudices populi dei. Qui Eccleſiaſtici. xlvi. cap̃. in ſanctorum patrum veteris teſtamenti catalogo numerantur. Qui q̃uis ex eo ꝙ remiſſus fuit in filios ſuos malos et preuaricatores legis domini corrigendos temporali pena mortis ſubite a deo punitus fuerit: quia tamẽ in ſe bonus ⁊ ſanctus extitit: credendũ eſt ꝙ ſue ſanctitatis premia eternaliter non amiſit. Hic cum eſſet de genere aaron ſacerdos ⁊ iudex in iſrael coram arca domini in tabernaculo miniſtrabat in ſilo. Ipe quoq; predixit anne vxori helchane: que ſterilis fuerat filium ex ea naſciturũ: vt tradũt hebrei: quem illa nouit domino ſe daturam. Cum autẽ heli duos haberet filios ophni ⁊ phinees: qui dominũ neſciẽtes partem ſacerdotalem de ſacrificijs anteq̃ adolerent: adipem tolebant ab offerentibꝰ crudum contra legem dei vt lautius ſibi pararent: eo quod non erat portio: ſed rapina: dormierunt etiam cum mulieribus obſeruantibus ad oſtium tabernaculi: ⁊ eas que venerant ad purificandũ polluebant. Pater eorum hoc agnoſcens: tepide eos redarguebat: propter quod per virũ dei reprobatus eſt a domino: ne ſacerdotio domus eius fungeretur: et temporali pena puniendus promittitur: vt ipſe mala morte cum filijs ſuis periret. ¶ Et cum heli ad taleꝫ dei comminationẽ quaſi redderetur icredulus confidens de magna miſericordia domini. Et ſamuel adhuc puer oblatus domino a parentibus corã heli in tabernaculo miniſtraret: ⁊ heli iam ſenex eſſet: apparuit deus ſamueli: cumq; tertio vocauit: ac idem predixit: ꝙ quicquid heli ſacerdoti comminatus fuerat: ad litteraꝫ adimpleret: vt dicetur infra cum de ſamuele agetur. Quod ipſe ſamuel heli interrogãti per omnia retulit. ¶ Cumq; philiſtei in prelium contra iſrael congregati veniſſent: ⁊ quattuor milia ex eis occidiſſent: ⁊ ſeniores iſrael hoc egre ferentes adinuicem conſilium habuiſſent: arcã domini de ſilo in prelium ſecum tulerunt: ⁊ cum duobus filijs heli arcam comitantibus contra philiſteos iuerunt. Uidentes autem philiſtei arcam domini timuerunt: ſed acrius ex hoc pugnantes iſraelitas fugere compulerũt: et ex eis triginta milia occiderunt: arca quoq; dei capta eſt: et duo filij heli mortui ſunt. Heli autem ſacerdos pre ſenectute cecutiens ſedebat contra viam que ducit ad caſtra. Et cum audiſſet nuncium qui de prelio fugerat: ꝙ populus ceſus eſſet: et duo filij eius interfecti: ſiluit: et patienter tulit. Cum autem audiſſet arcam captam: propter dei reuerentiam moleſte tulit: et cadens de ſella retrorſum fractis ceruicibꝰ expirauit. Iudicauit autẽ iſrael quadraginta annis: et ſepultus eſt in ſepulchro patrũ ſuorum: cuiuſq; dies obitus certus non habetur: de ſamuele eius diſcipulo dicturus ipſum premiſi: quorum adinuicem geſta continuãtur. Hec ex primo libro regum a principio vſq; ad capitulũ quartum: et ex dictis ioſephi ⁊ hieronymi atq; ex hyſtoria ſcholaſtica ſumpta.

¶ De ſanctis Helchana ⁊ Anna eius vxore. Cap̃. lxxxi.

HElchana vir iuſtꝰ ⁊ anna eiꝰ vxor ſamuelis pphe parẽtes iter ſctõs p̃ſci tp̃is a ioſepho ⁊ hieronymo cõputãtur: quorũ laus tam ex primo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

libro regum ꝙ ex benedicta eorum prole ſuſce-
pta percipit̄. Fuit aūt helchana de ramathaim
ſiue ramatha: que in euāgelio dicit̄ arimathia:
que ſita eſt in mōte effraim: ⁊ fuit de iſuar auū-
culo moyſi per chore deſcendēs: ⁊ ſic per patrē
fuit de tribu leui: per matrē vero de tribu iuda.
Habuit quoq; duas vxores: videlicet fenennā
fecundā ⁊ annā ſterilē: ⁊ cū eſſet anna pulchri-
or: ⁊ vir eā diligeret: fenenna ei inuidēs expro-
brabat ei: ⁊ obijciebat ſterilitatē. Et cū de mo-
re ſuo aſcēderet debito tpe helchana: vt immo-
laret dño in ſilo: vbi tūc erat arca dei: que in ta-
bernaculo ſeruabatur: ⁊ quodā tpe ipe helcha-
na cū ambabus vxoribus aſcēdiſſet: ⁊ filios ac
filias quos habebat de fenenna ſecū duxiſſet.
Anna triſtis pro ſterilitate ad fores tabernacu-
li egreſſa orauit ad dñm ꝓ prole habenda: ⁊ vo-
tum vouit: ꝙ ſi deus ſibi maſculum largiret̄: ꝙ
faceret ipm nazarenū: ⁊ altaris miniſterio per-
petuo deputaret. ¶ Et cū heli ſacerdos eā orā-
tem obſeruaſſet: ⁊ triſticie eius cauſam audiſ-
ſet: diuino ſpiritu eidem prenunciauit: ꝙ deus
exaudiſſet eam: que eſt ꝓmiſſione ſacerdotali
ſecura iam de ſobole facta eſt: ⁊ reuerſa cū viro
in domū ſuā cōcepit: ⁊ peperit filiū: vocauitq;
nomen eius ſamuel: eo ꝙ a dño poſtulaſſet eū.
Nec aſcendit mulier cum viro in ſilo: donec ab-
lactaret filiū. Et cū ipm ablactaſſet: videlicet
cū eſſet annorū. xij. adduxit eum cū muneribꝰ
in ſilo: ⁊ obtulerunt eum parentes heli: vt eſſet
miniſter in ꝯſpectu dñi: ſm votum qḋ emiſerat
eiꝰ mater. ¶ Et nota ꝙ ſunt tres ablactatiōes.
Prima a lacte māmille: que fit in tertio anno.
Secūda a lacte infantie: que fit in ſeptimo. Et
ſic amouet̄ puer a lacte: a pedagogo: a timore:
In hac vero tertia ablactatione ſamuel deo obla-
tus eſt quaſi iā idoneus ad ſeruiēdū. Poſt hec
vero anna habuit tres alios filios: ⁊ duas filias
quod deꝰ facere voluit: vt filiū quē quodāmo-
do ſm carnē pro deo amiſerat: in alia ſobole tri-
plicaret: ⁊ ꝑ hoc oſidat̄: q; qḋ deo cōcedit̄ etiā
in tpibus non amittit̄. Quieuerūt aūt in pace
helchana ⁊ vxor eius anna: ⁊ ſepulti ſunt in ci-
uitate ſua in ramatha. Quibꝰ aūt diebꝰ migra-
uerunt expreſſum nō habet̄: ⁊ idcirco geſtis fi-
lij eius cuius ſolēnitas ſequitur: non immerito
premittuntur. Hec vnde ſupra.

¶ De ſctō ſamuele ꝓphā ⁊ iudice. Cap. lxxxij.

SAmuel ꝓpheta ⁊ iudex po-
puli iſrael ſctiſſi-
mus: q̇ nedū in-
ter patres antiquos ſanctos
teſtamēti veteris eccleſiaſti-
ci. xlvi. ca. plurimū cōmēda-
tur: ſed etiā in pleriſq; diui-
ne ſcripture locis: vt ſanctus
magnificat̄: ⁊ ponitur: filius
fuit helchane ephratei de ramatha de tribu le-
ui: et anne eius vxoris: de quibus ſupra ꝓximo
actū eſt. Qui matris eius orationibꝰ a domino
poſtulatus fuit: voto premiſſo: ꝙ ipm ad perpe-
tuū ſeruitiū domini mācipatet: quod ⁊ paren-
tes ipſius fideliter adimplere curarunt: ipmq;
duodenē heli ſacerdoti in ſilo obtulerūt. Et ab
illa etate: vt dicit ioſephus plenarie ꝓphetare
cepit. ¶ Cum aūt filij heli legis domini eſſent
tranſgreſſores: ⁊ heli tepide corrigeret illos: ⁊
dominus eidem ac filijs eius per ꝓphetā mor-
tem cōminatus fuiſſet: nec adhuc heli verbis
domini fidem plenā adhiberet: vt ſuperius di-
ctum eſt in geſtis heli Factum eſt: vt heli in le-
cto ſuo iaceret: et iam pre ſenectute ipſius ocu-
li caligaſſent: ⁊ ſamuel iacebat iuxta taberna-
culum cū heli ſacerdote. i. ꝓpe lectū eius. Quē
dominus vocauit ex nomine. Qui ſurgens ac-
ceſſit ad heli credans ſe vocatū ab eo: ſed heli
ipm vocaſſe denegās ad dormiēdū remiſit. Cū-
q; hoc ibidē ⁊ ſecūdo ⁊ tertio factum eſſet. In-
tellexit heli: ꝙ deus ipſum vocaſſet: ⁊ inſtruxit
puerum qualiter iterum reſpondere deberet:
vocatus autem iterato a domino cum reſpon-
diſſet: loquere domine: indicauit ei dominꝰ eā-
dem cōminationē in domum heli: quē primo fe-
cerat ꝑ virū dei. Mane aūt ſamuel ab heli ad-
iuratus: indicauit omnia que locutus eſt ei deꝰ.
Creuit aūt ſamuel ⁊ cognouit omnis populus:
quia fidelis eſſet propheta domini. Et conſule-
bat eum omnis populus iuxta preceptum do-
mini. Preceperat enim deus: vt abijcerent ario-
los ⁊ diuinos: ⁊ huiuſmodi: ⁊ ſciſcitarentur a
fratribus verbum domini. Mortuo vero heli ſa-
cerdote: vt ſuperius dictum eſt. Samuel in lo-
cum eius ſucceſſit in iudicem. Qui populū do-
mini adduxit in maſephat: vt oraret pro eis: eo
ꝙ philiſtei terminos iſrael inuaſiſſent. Tunc ſa-
muel effudit aquā coram domino: in qua male-
dicta congeſta erant: quam ſi bibat idolatria la-
bia ipſi inſeparabiliter adherebant: forte in ſi-
gnum federis ſicut fecit ioſue. Quidā tñ aſſe-
runt ſamuelē idolū redegiſſet in puluerē: ⁊ mi-
xtum dedit populo ad bibendū: ⁊ in barbis eoꝝ
iudicaſſe reos idolatrie a nō reis ſicut olī fece-
rat moyſes. Et iudicauit eos ibi ſamuel. i. do-
cuit iudicia dei. Et audierūt philiſtei cōgrega-
tum eſſe iſrael in maſephat ⁊ armati aſcende-
runt aduerſus eos. Clamauitq; ſamuel ad do-
minum: ⁊ obtulit agnum lactentem in holocau-
ſtum. Et inito prelio dominus intonuit frago-
re magno ſuper philiſteos: ⁊ mota eſt terra: ⁊ ꝑ
loca pandebat hiatus ⁊ philiſtei in fugam verſi
ſunt a filijs iſrael: qui percuſſerunt eos vſq; ad
terminos terre ſue. Tulitq; ſamuel lapidem: et
poſuit eum in terminis: nec auſi ſunt vltra phi-
liſtei intrare terminos iſrael: viuente ſamuele
iudicabat itaq; ſamuel populū in bethel ⁊ gal-
galis ⁊ maſephat circuiens ꝑ annos ſingulos ⁊